Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26218
Copyright: Admont, Benediktinerstift

securitate leticie reuocat. Id enim superius sic iam diuinitus narrauerat. quod et grauis prius meror afficit. In magna primo diu leticia attollit. Igitur si uigilanter attendimus. has tres uices meroris et leticie in unius cuiusque electi animo istis alternis modis inuenimus. idem conuersione tentatione. morte. In prima quippe quam diximus conuersionis uice grauis meror est. cum sua unusquisque peccata considerans. curarum seculariumque cupiditates rupere. Iuuat dominum pace securus conuersationis ambulare. desideriorque temporalium graue onus abicere. et leue iugum domini libenter seruitute portare.

Cogitanti enim ista occurrit illa familiaris sua carnalis delectatio. quae inueterata diu. quanto eum diutius tenuit. tanto arctius astringit. atque a se tardius abire [illegible] et. permittit. Et quasi ibi meror. quae anxietas cordis. minus quando hinc spes uocat. hinc caro reuocat. [illegible] hinc amor noue conuersationis inuitat. hinc usus uetuste puersitatis impugnat. hinc desiderio ad spiritalem patriam flagrat. et hinc in se ipso carnalem concupiscentiam tolerat. quem aliquam etiam inuitum delectat. Recte quidem de hoc amarescente homine dici potest. Abominabilis ei fit in uita ipsius panis. Iam appropinquabit corruptioni anima eius. Iuxta illum mortiferis. Sed quia diuina gratia diu nos istis difficultatibus affici non permittit. ruptis peccatorum nostrorum uinculis. circumnos ad libertatem noue conuersationis consolando perducit. Iam precedente tristitiam subsequens leticia refouet. ita ut conuersi unusquisque animus. eo magis ad uotum suum peruenienda gaudeat. quo magis se pullo meminit laborando doluisse. Fit cordi in mensa leticia. quia ei quem desiderat. iam per spem